



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Regula moralitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**



## §. II.

*De Regula Moralitatis.*

**R**egula generatim vocatur, juxta quam dirigitur 83. aliquid, & veluti mensuratur, ut debito modo se habeat ad finem suum. Proinde *regula moralitatis* dicitur illa, cui si actiones humanae congruant, moraliter bonæ, & honestæ sunt; inhonestæ autem & malæ, si eidem diffformes existant. Duplicem humanarum actionum regulam TT. dirigit, aliam externam, & remotam, quam etiam *objectivam*, & *fundamentalem* vocant; aliam *internam*, *formalem* & *proximam*, quæ sit ipsa *conscientia*. Prior est ratio illa objectiva, unde actus morales habent, quod boni, aut mali sint, eoquod sit ipsa actionum humanarum norma, dirigens hominem in operando. Dari hujusmodi regulam morum certum est, nam ratio, cur aliqui actus humani sint boni, alii mali; alia reddi non potest, nisi quod alii regulæ ejusmodi conformes sint, diffformes alii. Nimirum esse bonum vel malum morale non est quid absolutum, sed respectivum, ideoque per commensurationem ad aliud, quod *regula morum* nuncupatur. Cujus quidem istæ statuuntur proprietates, ut sit prima, adæquata, universalis & efficax totius moralitatis norma, ex se indefectibilis, alioquin nec prima foret, nec certa moralitatis mensura. In constituenda hujusmodi regula non una omnium est sententia. Alii naturam rationalem quæ talem, alii Legem Dei æternam contendunt esse rationem ultimatam & fundamentalem, unde omnis honestas, aut inhonestas formalis in actiones humanas derivetur.